

infelici judicari poterit. Quatuor verò functiones in Corpore humano si considerentur, ut sunt Spirituum actiones, Respirationis negotium, Ventriculi Concoctio & distributio, Evacuaciones tandem omnes, prout imminutæ vel læsæ observantur, haud difficile erit prælagium.

§. 22.

Ad curam nunc properamus, quæ è triplici fonte, Therapeutico, Chirurgico & Diætetico erit petenda, quâ mediante infensissimus sanitatis hostis, Viscidum, debellari debet; ejiciendum est è Machina spiranti ac viventi humana, ne Automatum turbetur motus, sed ut inungantur Axes, foveantur & reficiantur tum solidæ, tum fluidæ partes Corporis humani.

§. 23.

Ante omnia quisquis Curationis aggredietur opus, eò respiciet, ut Vias, si necesse sit, expurget primas; in his enim Viscidum latens non tantum in sua sede molestias creat, sed etiam Medicamentorum resistit effectui, Medici operam eludit, & vias ad sanguinem præcludit; Vicissim Non rarò sublatâ è Ventriculo & Intestinis hac minerâ, præcavetur, ne in deterius malum corpus incidat. Ergò evacuari debet corpus, & quidem duplici modo hic actus peragitur, sive per Os, sive per alvum; ille per Emetica, ut sunt *Mercurius Vita*, *Tartarus Emeticus*, *Infusum Vitri Antimonii*, seu *Reguli Antimonii* & alia, pro variâ formâ & dosi convenientia; hic per purgantia præparata è *sol. J. nna*, *Rhabarbaro*, *Jalappa*, *Cassia fistulari*, *Resinis purgantibus*, *Scammonii*, *Jalappæ* &c, fit, inter quæ, quantum crassam inprimis Alvi Obstructionem attinet, Clysteres Carminantes cum Emollientibus obtinent locum, quibus non minus purgantia immiscenda censeo; præmitti autem solent & debent Digestiva, inter quæ Salia lixiviosa & enixa, ut *Arcanum duplicatum*, item *Tartarus Viærolatus* commendari solent, & *liquor Terræ foliatæ Tartari*, qui majori pollebit Vi, si ipsi *Spiritus Cinamomi* addatur; Inprimis autem Volatilia in Viscido, maximum digerendo, absolvunt punctum, hinc *sal Volatile Cornu Cervi*, aut *ejus Spiritus*, aut *Liquor C. C. succinatus*, aut salia Volatilia Oleosa conveniunt, & quæ incidendi simul ac resolvendi vi prædita sunt quæli gumata nonnulla existunt, inprimis si ex illis Oleosum Volatile accedente

dente